

EXERCITIUM PHILOLOGICUM
DE
**LAPIDIBUS
VIVENTIBUS,**
I. PET. II: 5.

QUOD,

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

**LAURENTIO O.
LEFREN,**

L. L. O. O. & Græcæ Profess. Reg. & Ordin.
atque h. t. Rectore Magnifico,

Publicæ honorum censuræ subjicit

ISAACUS GABR. TAULERUS,
Satacundensis,

In AUDITORIO MAJORI Die **31.** Maii
Anno MDCCCLXXX.

M. A. M. C.

A B O ÄE,

Impressa apud Viduam Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*littere la
li. publice*

Summe Reverendo atque Amplissimo Domino,
**D. NO JACOBO
GADOLIN,**

S. S. Theologiæ Doctori excellentissimo, Regiæ Academiæ Auraicæ PROFESSORI Primario, Dioecesis Aboënsis ARCHI-PRÆPOSITO meritissimo, Ecclesiarum Aboënsis & Nummensis PASTORI vigilantissimo, utriusque Consistorii ADSESSORI gravissimo, Reg. Scient. Acad. Holm.
Socio dignissimo,

*Patrono & Benefactori Optimo piaque mente ætatem
devenerando.*

Quæ a Te, Patrone Optime, in me profecta sunt beneficia, ea tam multa atque magna esse intelligo, ut culpam animi ingrati nullo unquam passo a me removere possum, nisi eadem non tantum perpetua recolam memoria, sed præconius etiam publicis, quoties occasio ferat, deprædicem. Ex quo enim ex eorum mihi esse contigit numero, qui Tuo de Patrocinio sibi in sinu gratulantur, nihil reliqui fecisti, quod unquam vel ad studium veritatis vel ad exercitium virtutis animo in generandum pertineat. Quotquot enim Tui sumus nihil plane desideramus, quod vel sapientissimis consiliis, vel prudentissimis monitis effici potest. Eo autem benignius adeuntes excipere, eo patientius consulentes exaudire, eoque gratori tum voce, tum mente abeuntes demittere soles, quo longius aliis his aliisque virtutibus superas. Me certe tanta semper gratia prosecutus es, ut nisi, quid affectus paternus in recessu habeat, didicissem, nihil scirem cui eam æquiparare possem. Quamvis igitur, Patrone optime, Tibi jam omnia debeam, quæ unquam Patrono debere posse ciliens, unum tamen adhuc mihi expetere sustineo beneficium. Permittas, humillime precor, ut Tuo Nominis exiguae has pa-

gellas in signum perpetui obsequii consecrari. Quamvis enim nihil
proprii habeant pretii, agunt tamen de materia, quæ Tibi semper est
gratissima, de Lapidibus nimirum viventibus, ex quibus verum DEI
Templum constat. Quo autem Tu in id incumbis diligentius, ut quot-
quot Te auxiant docentem hujus generis lapides fiant, eo ego arden-
tius DEUM O. M. semper precabor, ut Te, Benefactor propensissime,
Tuosque omnes quam diutissime salvos, sospites & incolumes præstet.
idque in super votis vestris concedat, ut instar lapidum viventium in
æternō DEI Templo indefinenter vigeatis & fulgeatis! Permansurę
dum vixero

Summe Reverendi atque Amplissimi
NOMINIS TUI

Cultor devotissimus
ISAACUS G. TAULEBUS.

VIRO


*Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:NO MAG. ARVIDO TAULERO,
Ecclesie, quæ DEO in Tavast-Kyrå colligitur, PASTORI
vigilantissimo, meritissimo,*

PARENTI OPTIMO.

Quoties Tuam, Pater Optime, curam recordor intensissimam, qua ad me bene educandum recteque instituendum quam diligentissime incubuisti, toties maximo gudio, maxima perfundor latitia. Nihil igitur mihi accidere potest exoptatius, quam quod tam pii Parentis tutela adhuc frui hiceat, quodque meam pietatem Tibi Parens Indulgentissime, publice declarare possem. Accipe igitur Parens propensissime primum fructum diligentiae, quem nunc Tibi in tesseram grati animi summa offero reverentia. Quis is Tibi gratus sit futurus, eo minus dubito, quo certius scio, quam enixe elaborare soleas, ut omnes, qui Te vel ut Parentem, vel ut doctorem audiunt, in viventes evadant lapides, quos hac brevi opella describere conatus sum. Hoc quidquid est munusculi, id Tuis curis, Tuis debeo impensis; quare ad Te potissimum redire debet, Tuam bonitatem inde sinenter celebraturum. Fauxit DEUS O. M. ut de Tuo praesidio mihi quamdiutissime gratulari queam. Sera sit illa dies, qua illud mihi dolere cogar ereptum! Interea aeternum vitae Auctorem & Conservatorem die nocteque precabor, ut Te Parens optime, una cum Matre indulgentissima quamdiutissime vivere & quam felicissime florere jubeat. Sic prolixiori mente quam voce optat

PARENTIS OPTIMI

*Filius obedientissimus
ISAACUS G. TAULERUS,*



§. I.

Quamvis SACRÆ LITTERÆ ubique locorum amabilem spirent veritatem; nimium tamen quantum a vero aberraremus, si stilum Sacrum eundem tenorem ubique servare diceremus. Nunc enim simplicem verborum proprietatem sequitur, nunc figuratas atque picturas adhibet splendidissimas. Denia exemplorum silva hoc evictum dare in proclivi esset, si id ferret ratio instituti, quod eo potius spectat, ut loco præfaminis non nihil tantum moneamus de varia vel facilitate vel felicitate, quauic solent interpres, cum in eo sunt, ut incunabula investigent similitudinum, quibus Divinæ litteræ passim indulgent sublimissimis. Generatim igitur observare licet, raro hic modum teneri, aliis in defectu, aliis in excessu peccantibus. Aequen enim in vitio sunt qui SACRIS LITTERIS propria lumina denegant, ac qui aliena iis acumina tribuunt. Certe ubi reddi debet ratio adpellationum subluniorum, neque in cœlum adscendendum, neque in orcum descen-

A

descen-

descendendum, ubi tertium comparationis præ manib[us] est, & e contextu, si vel tantilla adhibeat[ur] diligentia, facile erui potest. Ne vero extra oleas vagari videamur, ad institutum proprius nos accingimus, necessitatem hujusmodi prudentiae idoneo quodam exemplo ostensuri. Illud vero nobis supeditabit Locus 1. Petri 2. v: 5 ubi fideles Apostolo *λιθος ζωντες, λαπides viventes*, adpellantur. Quamvis enim hæc adpellandi ratio tam aperta videatur, ut ad eam iudicandam nulla opus sit virgula divinatoria, quippe quam sola & nuda contextus inspectione satis distincte cuique ob oculos ponit, tot tamen anfractibus ad eam grassati sunt multi Philologi, ut facile suspicari possis, eos non tam de explicatione Scripturæ, quam de ostentatione doctrinæ laborasse. Quoniam igitur non minus interdum juvat *erroris larvam* detrahere, quam veritati *Lauream* imponere, non male de oraculo Hoc Apostolico meruisse videbimur, si utrumque horum officiorum hoc quidem Specimine Academico pro virili colere fategerimus. Interim Te, Lector benivole, quo par est studio & officio rogamus, ut hunc conatum nostrum in meliorem interpreteris partem.

§. II.

Quoniam igitur omnis hæc disquisitio in duabus illis vocibus, *λιθος & ζωντες*, tanquam totidem cardinalibus vertitur, de utraque seorsim paucis agendum veniet. Prius vero, quam quæstionem dividamus, & quid *λιθοι*, quid *ζωντες* sigillatim importent,

tent, decernamus, verbo monendum est, Subjectum
quæstionis esse EX-JUDÆOS, seu homines e judai-
smo ad Christianismum conversos. Cumque A-
postolus statim mentionem faciat *domus spiritualis*, de-
mus *spiritualis*, quæ voces ferme immediate nostras
excipiunt, facile intelligitur, conversos non alio re-
spectu *alios*, *lapides*, appellari, quam quod constitu-
unt *omnes*, *domum*, nec alio eos respectu *vires*, *vi-
entes*, denominari, quam quod ipsa *domus* est *mo-
numentum*, *Spiritualis*. Et quamvis *Domus* in genere in-
volvat ædificium, in quo habitat, hoc tamen lo-
co speciatim intelligitur *templum*, seu *domus* in qua
Deus habitat. Hujusmodi *domum* habebant *judæi*
lapideam, cuius tamen *lapides* non *viventes* erant,
sed omni prolsus sensu & spiritu vacui. Dum igitur
Apostolus cœtum hominum conversorum adpellat
domum, singula ejus membra *lapides* denominat,
non quod *lapideæ* sint *naturæ*, cui vita desit, sed
quod quolibet partem constituat habitationis illius
Spiritualis Dei, de qua hic sermo est. Atque hoc
monuisse sufficiat *de ratione*, *cur lapides*, adpellentur.
Cardo igitur quæstionis in altero vocabulo *vires*,
seu *viventes*, veritutur. Unum tamen adhuc monuis-
se juvabit, duo esse genera *lapidum*, ex quibus ædi-
ficia exstrui solent, quorum alterum *fundamentum*,
alterum *ipsum ædificium* constituit. In ædificiis civi-
libus utrumque genus vita caret, in hoc vero spi-
rituali utrumque vita gaudet, sed diverso ordine.
Lapis fundamenti est CHRISTUS, quem Apostolus, com-
itate proxime præcedente, *alios* *vires*, *lapidem viven-
tem* adpellat. In hoc sita est vita originaliter, ab eo-

que communicatur singulis ecclesiæ membris, ut etiam hæc dici possint *visus viventes, lapides viventes.* Adeo plana & certa est hæc adpellandi ratio! Quis igitur non videt nodum in scirpo quærere quotquot hic aliquid doctius quærunt. Atque ita hic pedem statim figere possemus, nisi simul nobis propositum esset, aliis atque aliis ostendere speciminibus, quam exilem mereantur laudem, qui, ut vanam eruditionis auram captent, in Scriptura explicanda *simpliciem veritatem* prætereunt, nescio quæ lumina ex putidis judæorum commentis & insulsis paganorum mythologiis arcessere laborantes.

§. III.

Ne vero *solidam doctrinam & inanem eruditionis laudem* eodem prosus loco habere videamus, tex-tum Apostoli adhuc sub incudem vocare volumus, quid allata vocabula in recessu habeant, paulo diligentius scrutaturi. Quod si igitur rationem qua-ras, cur Petrus Ecclesiam Christianam cum templo judaico conferat, scire licet, judæos olim fuisse eos, ad quos epistolam mitteret Apostolus. Jam vero ex e-pistolis Apostolorum certissime constat, quam diffi-culter conversi judæi eo perduci possent convictio-nis, ut inveteratis gentis præjudiciis nuncium mit-terent, & tales amplecterentur Christianismum, qualem Scriptura recte intellecta postularet, & qua-lem Apostoli divinitus illuminati inculcarent, hoc est non judaico fermento infectum, sed per omnia ve-rum & purum, adeoque nec templo judaico adstri-ctum,

etum, nec Sacrificiis Leviticis superstructum. Quoniam vero ipse Deus templum judaicum divina sua praesentia honoraverat, & Sacrificia ibi mactanda ipse sua lege praeceperat, difficulter a se impetrare poterant, ut his rebus nullum plane pretium statuerent, verum earum scopum, qui in p[re]figurando & prenunciando Salvatore consistebat, ignorantes. Hos igitur opportune docet Apostolus, *Deum semper habitum templum & semper accepitrum Sacrificia*, sed aliud tamen generis, alias indolis, non templum ex *saxis* vita cassis exstructum, non Sacrificia ex *tauris & bircis*, aliisque *brutis animalibus* constantia, sed longe praestantius templum, longe meliora Sacrificia. Hinc illis prudenter cogitandum relinquit, quanto praestantius esset *adfiscium*, quod ex *viventibus ac spirantibus* constaret hominibus, quam pauc ex prius putis constaret *lapidibus*, ~~nec~~ *sensus nec cultus* *capacibus*. Hoc novum templum *civis revuariorum* & nova Sacrificia *Sorias revuariorum* eodem sensu adpellat PETRUS, quo PAULUS saepius id spiritum vocat, quod non tam litterae & syllabae legis, quam verus legis *sensus rite erutus insinuat*. Deus enim nec voluit, nec potuit religionem instituere mechanicam in nudo & solo motu corporis ejusque partium, utpote pedum, manuum, labiorum, & quæ sunt ceteræ, consistentem. Quis enim cultum Dei religiosum dicere poterit eum, qui nihil aliud involvit, quam quod tum sit, cum homo pedibus transferri se patitur in locum muro lapideo septum, cum manibus taurum, aut bircum e stabulo sumum ad acervum lapidum, aut cespitum ducit, cum cultro transfodit ferro, sanguinemque

in parietes dicti modo acervi conspergit, cum lingua certum aliquem hymnum reboat, & que sunt similia. Verus Dei cultus spiritui postulat. Qui Deam vere & recte colere velit, is non satis habet nominata modo exercitia corporis paragere, sed animo Deo devo-to singula corporis membra, & quidem viva, ejus mandatis faciendis consecrare, idque sua sponte & tanta lubentia, quanta vel sitiens potum, vel esuriens cibum capit. Qui Deum sic intra se colit, is templum est spirituale, & qui ipsi hujusmodi praestat officia, is sacrificia offert spiritualia. Qui vero aedificium spectans lapideum, hic, clamat, est templum Jehovah, sic est templum Jehovah, nec animum atque spiritum Deo habitandum exhibet, is nullum habet Deum & nullum praestat cultum, qui Deo placere potest. Atque hanc puto esse mentem Petri in loco, quem nobis enucleandum sumsimus.

§. IV.

His igitur praemissis, pedem ulterius promovere placet ad proponenda & explodenda ea doctrinorum virorum somnia, quorum supra mentionem fecimus; idque eo brevius, quod vel ex his paucis discere licet, quid distent æra lupinis. Primum quidem minuenda est sententia eorum, qui PETRUM adpellationem ΛΙΘΩΝ ΖΩΤΩΝ mutuo sumsisse sciscunt ex commento judaico, quo lapidibus immanibus, ex quibus templum Salomonis exstructum fuit, facultas tribuitur se ipsos dolandi & optandi, ut sine instrumentorum one æquabilem beneque coherentem efficere possent partem.

parietem. Præterquam enim, quod hæc opinio e
 diametro repugnet scopo Apostoli, qui potius id spe-
 ciat, in quo differunt, quam id, in quo convenient
 diversa hæc templo, & haud obscure insinuat tem-
 plum judaicum ex lapidibus non viventibus ædifica-
 tum fuisse, ut eo fortius stingeret argumentum, quo
 judæos conversos a nimia templi reverentia revoca-
 re fatagit, ex eo etiam capite falsa est, quod or-
 tum debet ineptæ translationi Lxx interpretum, qui
 voces οὐδὲν οὐδὲν 1. Reg. v. 31. Λιθοὶ ἀπελεγόται, securi
 non dolatos reddiderunt, cum tamen lapides dolatos
 vel politos valeant. Legimus quidem 1. Reg. VI. 7.
 sic ædificatum fuisse templum, ut nec malleorum,
 nec cælorum, nec ullorum aliorum instrumentorum ferre-
 orum exaudiretur sonus, sed inde non sequitur, quod
 per quietem vidit Josephus, qui antiquit. judaic Lib
 VIII. c. 2. comminiscitur, ὡς εἰδέσιοι τὴν αἰγαλίαν τῆς ὅλης
 δοκῶν, videri posse materiam sua se sponte aptasse. Quam-
 vis enim in loco, quo exstructum fuit templum,
 nulla ejusmodi instrumenta fuerint exhibita, inde
 tamen subsumere non licet, neque in ipsis fodinis
 dolatos & aptatos fuisse lapides, de quibus quæstio
 est. Hinc alii dictos putant lapides viventes, quod
 templum inde exstructum speciem habuerit ædificii
 non ex multis & variis compositi lapidibus, sed ex
 viva petra excisi, vivam appellantes petram, quam vo-
 cabulo proprio integrum aut continuam dicere debuissent.
 Sed hac arte opus non esse, ex eo, quod initio mo-
 nebamus, satis constare arbitramur. Quo circa pu-
 rum putum est Somnium judaicum, cum Rabbini, ut
 structuram templi miraculosam nanciscantur, vermi-
 culum

culum נַעֲשֵׂה adpellatum fingunt, cuius ea sit vis, ut quamvis grani hordei magnitudinem non superet, cuicunque tamen imponatur lapidi, is in frustra cubicā eaque optime lævigata dissiliat. Sed eo palpabilius est hoc commentum, quod, magno monente BOCHARTO, Hieroz P; II. L. VI. C. II, non vermis ~~mem~~ sed lapidem nomine נַעֲשֵׂה veniat. Addit vir doctissimus, נַעֲשֵׂה in specie signare lapidis genus durissimum, quo lapides pretiosi expoliri potent. SMIRIS Latine, sicutice SMERGEL dicitur. Smiris vero HESYCHIO & PHAVORINO pulvis est, quo lapides duriores lævigantur.

§. V.

Alli PETRUM his vocibus adlusisse putant ad locum PLUTARCHI, De Flav. Opp. T. III. p. 1158 ubi mentionem facit lapidis in fulmine EROTA inventi, qui audiendi sepe que movendi facultate polleat, quippe quem tradunt ad auditum tubae ad littus adpropinquare, fundum vero petere simul ac Athenienses nominari audiverit. Tantum vero abest, ut APOSTOLUM ad hunc lapidem respexisse credamus, ut potius nobis habeamus perswasissimum, nullomodo fieri potuisse, ut vir θεόνευσος ad tam putidum figmentum in tam seria caussa aduldere volerit. Primum quidem in hoc loco lapidis viventis expressa mentio nulla fit, deinde tota fabula ejusdem est indolis, ac notus ille jocus, quo nos dicere solemus hunc vel illum lapidem moveri quoties cantum galli gallinacei AUDIVERIT. Quis enim non sentit, hoc dictum

(26) 9 (27)

Etum nihil nisi jocum esse, quem nemo ratione uentientum unquam usu venire, sed unice ad instar a-nigmatis, ad acuenda ingenia puerorum aliorumque imperitorum, excogitatum esse, credit. Demirari igitur convenit, tam ineptam hypothesin ulli unquam doctorum hominum in mentem venire potuisse, praesertim cum *scopus APOSTOLI*, quod saepius jam observo & moneo, longe aliam adpellandi rationem non tam postulet, quam flagitet.

§. VI.

Nec multo propius ad veritatem accedere pu-tanda est opinio eorum, qui hanc adpellandi ratio-nem respicere statuunt ad *άγαλκτα ζώτα, statuas a-nimatās*, quarum crebro apud Auctores sit mentio. Prius vero quam hanc opinionem refutatum eamus, verbo monere liceat, quid de statuis consecratis c-llim creditum fuerit. Stire itaque licet hoc genus statuarum in duplice fuisse differentia, adeo ut alias *animatas*, seu *videntes*, alias *non animatas*, seu *non vi-ventes* crediderint non modo pagani, sed multi et-jam Christiani, & adhuc forte credant. Sic HERAL-SCUS quidam cognovisse scribitur, quānam statu-arum *vivæ*, quānam *non vivæ* fuerint, de qua re videri poterit SVIDAS sub voce *ηραλσκός*. Vivas fuisse statuas, inter Christianos, ut alios silentio præ-teream, diserte statuit LACTANTIUS, qui causam vitæ ex malis geniis sub illis delitescentibus arces-fit, *Inst. Divin.* L. II. p. 82. ubi hos vatum pecto-ra inspirasse scribit. Locutas quandoque fuisse ejus-

modi statuas, dubitari vix potest, utrum autem lo-
quela malis genitis, an vero *Sacerdotibus impostoribus* o-
riginem debuerit, id quidem definire nolumus, quem-
vis suo sensu in hujusmodi rebus abundare patien-
tes. Certe Sacerdotes gentilium ab hujusmodi do-
lis liberos fuisse, pronunciare non possumus. Dia-
boli caustam tueatur, qui velit. Nos ejus patro-
nos agere non tenemur. Quidquid autem de vita
statuarum sit, hoc firmiter credimus, PETRO in-
mentem venire non potuisse, ut Christianos, quos
Spiritus Sanctus animat & in omnem veritatem dicit,
cum illis conferret aut contenderet. Neque enim
Spiritus Sanctus pectora Christianorum ea fini ad-
flat, ut oracula edant, sed ut tanto eos lumine col-
lustret, quanto cuique ad officium faciendum opus
sit, ut pie, iuste & sobrie vitam in hoc seculo transi-
gant. Quod supereft, illud hic iterum monere po-
semus, quod de scopo in superioribus monitum est,
nisi actum agere nollemus.

§. VII.

Quamvis autem ex iis, quæ de *lapidibus viven-*
tibus gentilium haetenus breviter adduximus, haud
obscure patere arbitremur, quam moleste seduli fu-
erint eruditi, qui lucem *formulae Petrinæ* exinde fœ-
nerari fategerunt; prius tamen hunc locum relin-
quere nolumus, quam id quoque genus λίθων εἰνψύ-
χων, seu *lapidim animatorum*, quod bæthylorum, seu
bætiliorum nomine venire solet, paucis adtigeri-
mus. Hujusmodi lapidem per aëra volitantem se
vidis-

vidisse fatetur ISIDORUS *Philosophus*, apud PHOTIUM in *Bibliotheca* p. 995. seq. Motum vero horum lapidum volantium alicui spiritui tribuunt Auctores. Primus qui de iis scriptum reliquit, est SANCHONIATHON PHOENICUM *Philosophus*, qui circa annum mundi 2760. vixisse perhibetur. Is IX Libros scripsit, qui Theologiam & Historiam Antiquitatum Phœnicum continent. Hos Libros Græce vertos sub nomine Φοινικῶν reliquit PHILO BYBLIUS, qui seculo I. & II. floruit, ex quibus tamen nihil hodie superest, præter fragmenta, quæ PORPHYRIUS in Libro de *alpinia* & EUSEBIUS in *Præparatione Evangelica* conservavit. De Bæthylis sic SANCHONIATHON scribit: ἐπερόντες γέρος οιγρὸς βαιζόλα εἰθες εἰφύεις μίκαροις. h. e. DEUS COELUM bæthylia excogitavit, cum lapides animatos fecisset, apud EUSEBIUM Lib. I. p. 37. Quidquid de his bæthylis narratur, id ejusmodi est, ut commode referri possit ad factum JACOBI oleo ungentis lapidem, super quo dormierat, Gen. XXVIII. 17. seq. multi & magni obseruant Auctores, v. g. GERH. JOH. FOSSIUS, DAN. HUETIUS, JOS. SCHALIGER, SAMUEL BOCHARTUS & alii. Quod ad nomen adtinet bæthyliorum. illud nihil aliud est, quam Hebræum בִּתְהָלָל, Betbel, terminatione Græca auctum, & littera ב in ו mutata, quatenus AQUILA בִּתְהָלָל Græce βαιζόλη scripsit. Quomodo hinc lapides viventes exsculpipossint, eruditè concidit BOCHARTUS *Phal.* & *Can* Lib. II. C. 2. ubi interpretem Sanchoniathonis pro נְשָׁפִים אֲכְנָרָם, quod lapides unclos notat, אֲכְנָיִם נְפָשִׁים אֲגַתָּה εἰφύεις, lapides animatos legisse putat, idque eo credibilius videtur,

detur, quo facilius est scriptori duas litteras in eadem
 voce transponere. Quominus autem PETRUS hæc bæ-
 thylia ob oculos haberit, cum Epistolam ad conversos
 Hebræos scriberet, id ex antea dictis facile colligi posse
 existimamus. Quid? quod dubitare ad minimum liceat,
 an PETRUS scriptum SANCHONIATHONIS unquam
 oculis usurpaverit. Græcam certe translationem, quæ
 tempore demum HADRIANI, quo PHILO BYBLIUS
 vixit, adornata est, videre non poterat PETRUS, qui
 temporibus AUGUSTI & TIBERII vixit. Nec valde
 mihi probabile videtur, a pescatore Galilæo lectos fuisse
 libros SANCHONIATHONIS *dilecto Phœnicia exaratos*.
 Quid? quod adhuc sub judice lis sit de authentia fragmen-
 torum SANCHONIATHONIS, quippe quæ ei suppone-
 re potuit PORPHYRIUS, qui circiter CCL. annis post
 PETRUM invivis esse desit. Inter omnes vero Scri-
 ptores gentiles, qui viventium lapidum meminerunt, ne-
 mo verbis PETRI similiora protulit, quantum mihi qui-
 dem constat, quam HIEROCLES in *Aureis Carminibus*
PYTHAGORÆ, qui divinas statuas fieri docet animas eo-
 rum, qui se ipsos DEO in Sacrificium devovent. Verum
 & hic PETRO junior est, nec verba ejus desumpta sunt
 ex *Philosophia Pythagorica* aut *Platonica antiqua*, sed ex
 ea quæ seculis II. & III. invaluit, cuius sectatoribus so-
 lenne erat a Christianis mutuo sumere loquendi for-
 mulas, ut cum iis consentire viderentur, de qua re vi-
 deri poterit celeberrimi Mosheimii doctissima Dissertatio
 de studio Ethnicorum Christianos imitandi, quæ Dissert.
 ad Hist. Eccles. spect. p. 330. seqq. legitur. Confer Dis-
 sert. JOH. G. MICHAELIS in h. I. Halæ anno 1737. e-
 ditam. Plura persequi prohibet loci angustia,
 manum igitur de tabula.

S. D. G.

